

## De secunda fortuna

Mense Novembri MMVIII per tres hebdomadas David et ego institutum Mumba visitavimus arti mathematicae dedicatum. Vespere saepe cum aliis visitoribus vel juvenibus mathematicis Indis in urbe cenare solebamus, sive in tabernis satis simplicibus in quibus nulli turisti inveniri potuerunt, sive in tabernis deversoriis elegantissimis iunctis.

Quodam vespere post cenam disputavimus num tabernam liquorum peteremus ad poculum cervisiae bibendum. Duae tales tabernae in illa parte urbis nobis erant notae quarum altera propter musicam strepentem nobis omnino non placuerat. Itaque alteram tabernam petere constituimus quae 'taberna Leopold' appellabatur. Haud procul illa taberna subito David se haud bene habere confisus est: se dolore capiti laborare. Consilio mutato et postquam amicis vale diximus, in domicilium nostrum redire constituimus.

Aliquot momentis temporis postquam somnolenti cubitum iimus, subito strepitus ingens resonavit valde differens ab illis sonis ignum artificium quibus paene quotidie festum religiosum quoddam celebrari solebat. Solliciti et timore commoti in solarium currimus ad urbem spectandam quare nos causam illius strepitus percepturos esse speramus. Sed idem aspectus nobis praebetur quam vesperibus praeteritis: urbs millenis lucibus illuminata quae numquam dormire videtur. Consilii inopes iterum cubitum imus, sperantes fore ut die proximo causam illius strepitus comperiamur. Sed iterum nobis quiescere non licet: mox sono telephoni ex somno excitamur.

Ab illo collega Indico, qui nos appellavit, homines seditiosi in variis locis Mumbae qui imprimis a turistis frequentari solent impetum fecisse comperimus et globis incendiariis et sclopetis machinalibus utentes. Casu accidit quod omnes collegae nostri in tempore in deversorium redierint, etiamsi unus eorum paene in perniciem tractus est: eo vespere in illo deversorio luxorioso in ora maritima posito cenavit ubi paulo post vigiliis necatis multi obsides ab iis hominibus seditiosis retenti sunt.

Cum mane sollicitudine commoti institutum petimus a multis vigilibus armatis protectum grando tenorum audiri potest: milites Indici obsides ex synagoga non procul ab instituto sita liberare conantur. Collega quidam cuius mens in nubibus vagari videtur obstupefactus nos rogat cur bibliotheca instituti eo die sit clausa: fortasse festi religiosi cuiusdam causa?

Denique illos amicos convenimus quibuscum vespere praeterito cenavimus. Ab illis nos tantum secunda fortuna ex calamitate evasisse comperimus: semihora postquam consilium cervisiae bibendae deposuimus etiam in taberna Leopold multi homines ab aggressoribus sclopetis machinalibus utentibus sunt necati severeque vulnerati. Silentiosi Diis grates agimus quod temere et fortuito illo dolore capitis Davidis ex pericula simus erepti.